

juvare, inprimis incremento pietatis ac Christianismi i. Thesf. V. **ædificate** i. e. instruite alter alterum, scil. verbis bonis & exemplis, ut explicat glosa ordinaria, Conf. Act. IX. 31. 1. Pet. II. 5. Rom. XV. 2. 1. Cor. II. 1. (β) *æconomicè* de ædificatione domus Matth. VII. 24. 26. sepulchri Matth. XXIII. Luc. XI. 47. templi Matth. XXVI. 61. c. XXVII. 40. Joh. II. 20. Civitatis Luc. IV. 29. altaris Judic. VI. 28. turris Matth. XXI. 33. de procreatione filiorum Gen. XVI. 2. Deut. XV. 9. de benedictionis accumulatione Syr. III. II. II. Deo tribuitur, & tunc notat *Creare* Gen. II. 22. *meliorare* Act. XV. 16. Psal. CII. 17. ubi **οικοδομεῖν** in versione Græca *liberis ac re familiari ditare* Psal. CXXVII. 1. LXX. iterum per **οικοδομεῖν** vertunt Exod. I. 21. 2. Sam. VII. II. fundare, confirmare s. stabilire Psal. CXCIX. 5. **וַיְבַנֵּן** LXX. καὶ οἰκοδομήσω *sedem tuam*. Et hoc sensu verbum **οικοδομήσω** a Christo hic usurpatur; *ædificabo*, inquit, *Ecclesiam meam* i. e. *Ich will sie fest gründen* Psal. CXXVII. *Vermehren/beschirmen / ewiglich erhalten und herrlich machen*. Apoc. XXI. ceu hanc phrasin explicat Magnif. Dn. D. Olearius *manuali p. 1672. fin.* Infert beneficium Dei Spirituale universæ Ecclesiæ concedendum per ministerium Apostolorum & Doctorum Ecclesiæ, Evangelium de Christo annuntiantium Rom. XV. 20. 1. Cor. III. 6. 10. 1. Pet. II. 5. Adeoque futurum hic adhibetur ad monstrandam ædificationis continuationem & objecti amplitudinem. In V. T. angustiis Judææ terminis Ecclesia continebatur, nunc novum Christus **Ἰεσὺς Χριστὸς** fundamentum in universo orbe ponendum promittit. *Eleganter Casaubonus* l. c. pag. 354. a. Quid est ædificabo? sicut architecti lapides quærunt, inventos ad opus parant, cædendo, poliendo & aliis rationibus; deinde probè paratos cœmentò conjungunt inter se ut ex omnibus rectè compositis surgat opus ædificii. Sic Dominus noster ex innumero mortalium numero quosdam eligit, electos erudit, Fidemque illis infundit, totosque adeò immutat lavacro **καλιγγενεσίας**, ut novæ creaturæ dicantur Paulo 2. Cor. V. 17. Gal. VI. 15. tum a. ita paratos & concinnatos vinculo Charitatis, participatione eorundem mysteriorum, communionem ejusdem spei, velut cœmento quodam conjungit invicem, ut è pluribus extruantur Ecclesiæ singulæ, ex omnibus Ecclesia Catholica. Hactenus ille. Similitudinem vocis **οικοδομεῖν** bene quidem evolvens, sed malè a. 10. **Os** electos fidei infusionem & salutarem per Baptismum regenerationem

men